

rolla, staminibus connatis, Nectarii glandulis quinque
Stylisque tribus, apice bifidis. Contra vero *Jatropha*
Manihot 1007; 5. calyce caret; corolla angulata. Styli . .
Jatropha arens itidem calyce caret, sed corolla hypocrate-
teriformis.

125. HURA. *Gen. Pl.* 10. *Syst. Nat.* 6. p. 135.

Licet ex *Syst. Nat.* l. c. character *Gen. pl.* emendatus sit,
ex autoptica tamen observatione novus hic sistitur.

CAL. *Perianth.* &c. conf. *Mscr. Descr.*

126. MORUS. *Gen. Pl.*

Flores masculi & feminei in Dicecia, floribus femineis in
globum aggregatis.

CAL. squamæ Capituli quatuor vel quinque & conf. *Mscr.*
Descr. stylo unico longo differt a reliquis, nec calyx abit
in fructum.

Folia ovato-oblonga sunt, glabra nec hirsuta; alis spi-
na obliqua laterali.

127. VISCUM. *Gen. Pl.*

In speciebus duabus americanis, hoc genus a planta Euro-
pæ differre deprehendi: harum una flores gerit ut illa in
Dicecia, baccis oblongis: altera vero absolute Monoica
est, baccis brevioribus. Alias, ambæ habent in

Flore masc. CAL. *Perianthium* tridentatum; dentibus acu-
tis, crassiusculis, connatis, brevissimis.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* vix ulla vel brevissima. *Anthera* tres,
sessiles, subrotundæ.

Fem. CAL. simillimus Masc.

COR. nulla.

PIST. *Germen* oblongo-ovatum, teres, sub calyce terminali,
magnum ratione illius. *Stylus* nullus. *Stigma* obtusum.

Bacca subconica.

SEM. ovale, compressum, obtusum, venis longitudinalibus
pulchre pictum, involutum pulpa tenuissima, glutinosa.

